



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Electo Nicodemiensi, & Præposito sancti Sepulchri & Priori Pisanorum
Constantinopolitanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Canonicus nobis humiliter supplicavit ut ei, qui ad sedem apostolicam veniendo, pro negotiis vestris & totius cleri Constantinopolitani expediendis plurimum laboravit, pro proventibus ejusdem Ecclesie perceptis à vobis, quos ipse, si praesens fuisset in vestra Ecclesia, percepisset, satisfieri faceremus eidem. Cum igitur idem A. inde dispendium pati non debeat unde praemium dinoscitur meruisse, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eidem Canonico de proventibus sibi subtractis, donec pro communibus negotiis absens fuit, taliter providere curetis quòd ipse propter hoc vobis & Ecclesie vestrae magis obnoxius teneatur, & nos debeamus devotionem vestram exinde non immeritò commendare. Datum ut in alia.

CARISSIMO IN CHRISTO
filio Henrico illustri Constantinopolitano Imperatori.

Epist. 52.
Inducitur ut bona Ecclesie S. Anastasii ablata restituantur.

AD audientiam nostram dilecto filio nostro Alufo Canonico Ecclesie sanctae Anastasii Constantinopolitanae significante pervenit quòd eadem Ecclesia, quae antequam Constantinopolitana civitas caperetur post majorem Ecclesiam locum praecipuum obtinebat, gravatur maxima paupertate, bonis ipsius distractis multipliciter & consumptis. Insuper inclitae recordationis Baduini Imperator germanus tuus, cujus successor existis, casalia cum pertinentiis suis, possessiones, & res alias quae ad Ecclesiam pertinebant praedictam contra justitiam occupavit & detinuit occupata, quae in animae tuae periculum reddere contradicis. Quia verò quanto magis gressus tui à Domino prosperantur, tanto minus esse debes Ecclesiae onerosus, serenitatem tuam rogamus & monemus attentius quatenus si est ita, bonam eandem Ecclesiam ipsi ob reverentiam apostolicae sedis & nostram restituens, ab ejus super hoc molestatione indebita conquiescas. Datum Laterani xv. Kal. Maij, anno undecimo.

CANTORI DE BLAKERNA,
Praeposito sancti Sepulchri, & magistro P. Canonico sancti Pauli Constantinopolitani.

Epist. 53.
Eis committitur causa T. Capellani de Bucca Leonis.

Infirmantibus T. Capellano Ecclesiae de Bucca Leonis & quibusdam aliis Clericis Constantinopolitanis nos noveritis accepisse quòd H. de Atrebatò & quidam

alii Clerici Constantinopolitani proventus quarundam rerum quae in sortem Clericorum ipsorum cessisse noscuntur percipiunt & dividunt pro sua arbitrio voluntatis, illis qui super hoc deberent de jure requiri penitus inconsultis, & eisdem, licet saepius requisiti, debitam nolunt reddere portionem. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerunt evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani xv. Kal. Maij, anno undecimo.

ELECTO NICODEMIENSI,
& Praeposito sancti Sepulchri & Priori Pisanorum Constantinopolitanis.

Innotuit nobis, conquerentibus dilectis filijs A. & D. clericis apud Constantinopolim constitutis, quòd Decanus sanctae Sophiae ac quidam alij Constantinopolitani quandam mulam & res alias pertinentes ad ipsos contra justitiam detinent & reddere contradicunt, super blado & rebus aliis injuriantes eisdem. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo &c. Datum ut in alia.

Epist. 54.
Committitur eis causa super quadam mulam.

SANCTAE SOPHIAE ET SANCTAE
Anastasii Decanis, & Cantori de Blakerna.

Conquesti sunt nobis dilecti filij Er-nulfus Canonicus de Blakerna & alij clerici apud Constantinopolim constituti quòd venerabilis frater noster Salimbriensis eis super quibusdam terris, vineis, pratis & rebus aliis damna gravia & injurias inferre non cessat. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. Datum ut in alia.

Epist. 55.
Eis committitur causa Arnulphi Canonici de Blakerna.

DILECTO FILIO MELDENSI
Electo.

Dilecta in Christo filiae moniales Iotrensium monasterij humiliter nobis insinuatione monstrarunt quòd idem cenobium propter dilationem benedictionis electae ipsius tam in spiritualibus quam temporalibus non modica sustinuit detrimenta.

Epist. 56.
Ve impendatur benedictionem A. Abbatissae Iotrensi.
Vide appellationem hujus litterae.